

S. C. C. resp.: Negative et spectare privative ad parochos domiciliarios et amplius.

Die 13. Mart. et 2. Apr. 1729.

S. Miniati.

Civitatis sancti Miniati Parochi preces huic sacrae Congregationi obtulerunt postulantes, ut tecta sartaque servaretur eorum parochialis jurisdictio adversus Sacerdotem Carolum Nistri Cathedralis Ecclesiae Praepositum itemque Parochum, qui ab anno 1800 occasione funeris Dominici Analdi ejusdem Cathedralis Canonici jus suum esse contendit administrandi Sacramenta Canonici, Beneficiatis caeterisque ad capitulum Ecclesiae Cathedralis pertinentibus, quamvis in aliena Paraecia suum habeant domicilium, necnon eorumdem cadavera associanda, funus peragendi et tumulandi jus habere praesumit. Asserebant Parochi, numquam Capitulum seu Cathedralis Praepositum alicujus statuti vigore aut aliqua consuetudine Sacramenta vel paschali tempore vel in extremo mortis periculo administrasse iis, qui etsi Cathedrali Ecclesiae sint adscripti tamen extra illius paraeciae fines suum habeant domicilium.

Hasce preces Episcopo remisit pro informatione et voto audito Capituli Antistes asserit: numquam Cathedralis Capitulum habuisse ne in forza d'immemorabile, ne in virtu di statuto particolare l'osservanza di amministrare neque in Paschate neque in extremis i Sacramenti a quei Canonici, Cappellani, Beneficiati, e Chierici, che abitano ad libitum nelle loro Case Familiari poste in diverse, ed aliene parochie della Cita, e neppure adesso e in possesso di tale Amministrazione di Sacramenti. Hinc nullum jus competere Cathedralis Capitulo ait Epis-

copus circa eorum funera, excepto jure sepeliendi, quando sine electione ejusdem decedant. Deinde distinctas esse paraecias asserit nec umquam Capitulum parochorum jura perturbasse: *Ma questo Proposto Nistri ha creduto, che tanto i Canonici, che i Cappellani ec. debbano considerarsi suoi parochiani, quantunque abitino in diverse parochie, ed aliene, perciò pretende i loro funerali, ed aver diritto ai medesimi.*

Tandem Episcopus desiderium suum aperit, ut quaestio isthaec a Sacra Congregatione definiatur, ut scandala et offensiones finem habeant quae futura putat.

Quod vero ad Capitulum pertinet, transmisit Episcopus decem Canonorum votum, qui de parochorum precibus requisiti responderunt: *sono di sentimento, che la detta supplca sia ragionevole, mentre il Capitolo de S. Miniato, ne gli Antecessori Proposti nell' Amministrazione de Sacramenti, e nella circostanza della morte, funerali, e sepultura di quaesti Canonici non hanno mai deviato dal comun diritto, ne' si prova osservanza contraria al medesimo, perciò intendono uniformarsi al dotto, a savio sentimento del Reverendissimo Signor Arcidiacono Morali Lettore di diritto nella celebre Università di Pisa, qui Parochis favet.*

De consensu partium haec causa ad hanc Congregationem delata est et quatuor concordatis dubiis hodie proponitur informantibus Parochis, silente vero Proposito. Quoad primum dubium, nempe — *An et cui competat jus administrandi Sacramenta Canonici et Beneficiatis caeterisque ad Capitulum Miniatense pertinentibus extra Paraeciam dictae Ecclesiae Cathedralis degentibus, parochi ut hoc jus ad se pro-*

bent pertinere tria asserunt. I. Quod si veri parochiani sint, qui intra paraeciae fines domicilium habent. Ex incolatu enim acquiritur jus parochialitatis tum quoad parochos tum quoad subditos. *Caren. relat. pract. forens. 80. numm. 5 et Pignatell. cons. can. 5. in princip. tom. 8.* Si haec generalia sunt, nullum dubium est, quia etiam eos comprehendat, qui Ecclesiae Cathedralis servitio mancipati sunt. Hinc ad excludendum quoque jus praepositi afferunt Parochi *Can. Eccl. caus. 13. quaest. 1.* ubi statuitur, *ut nullus (parochus) alterius parochiae terminos aut jus invadat, sit unusquisque terminis suis contentus; et taliter Ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ideoque injuria praepositum parochi jus exercere extra suae paraeciae fines contendere dicunt.*

Secundo loco probare conantur Parochi, nullum jus habere praepositum, quia nullum affere potest speciale privilegium Ecclesiae Miniatensi concessum, nec alibi in jure canonico hoc privilegium generatim cathedralibus ecclesiis indultum reperitur. Quod si aliquando ecclesia cathedralis nominatur paraecia universalis, hoc intelligendum est metaphorice et analogice, sibi que tantum vindicat locum, quando paraeciarum ecclesiae per constitutos limites divisae non inventiantur. At contra cum in Civitate S. Miniatis et limites statuti inventiantur et separatae sint paraeciae, nequit praepositus constitutos sibi limites praetergredi et aliarum paraeciarum fines invadere.

Suum jus tertio probant parochi ex consuetudine, quia nunquam cathedralis praepositus administravit sacramenta vel in Paschate vel in vitae extremis his, qui in aliena paraecia degebant, etiamsi addicti essent ecclesiae cathedrali: immo contrarium demonstrant,

scilicet semper parochos hanc jurisdictionem exercuisse; quod magis comprobatur ex aliquibus Episcopi rescriptis, quibus impertitur facultas recipiendi SS. Viaticum ab Ecclesia cathedrali — *purche tal gratia non passi in consuetudine.*

Secundum dubium respicit associationem, funus ac tumulationem cadaverum. Contendunt parochi, nullimode posse praepositum Nistri sibi vindicare cadavera canonicorum aliorumque, nisi illi expresse in cathedrali sepulturam elegerint. Ajunt enim hoc privilegium non competere cathedrali jure parochialitatis, quia in primo dubio satis probasse putant, hoc titulo carere supra addictos clero cathedralis alibi habitantes. Ex jure vero communi omnes Christifideles deponendi sunt in propria paraecia, nisi majorum sepulcro gaudeant vel alibi sepulturam eligant. Exemplo vero majorum invecum est, canonicos in canonicali sepultura esse deponendos, si in Ecclesia, cui inservierunt, hoc speciale sepulchrum adsit; quo in casu canonici in cathedrali tumulandi sunt, non quatenus cathedrali S. Miniatis nulla sit canonicorum sepultura, nullum jus sibi vindicare potest praepositus tumulandi cadavera addictorum cathedrali sed alibi habitantium.

Excluso jure parochialitatis et jure tumulandi excluditur jus associandi tamquam illis accessorium. Quod si tumulandi essent Canonici in Cathedrali ob electionem sepulturae, ne tunc quidem liceret inconsulto Parocho defuncti cadaver efferre et associare. Nemo enim potest in aliena paraecia aliquam exercere jurisdictionem, ut pluries decisum fuit ab hac s. Congregatione praesertim in *Narnien. jurium parochialium 26. Septembris 1699.* Ex iisdem rationibus negant Parochi jus Praeposito compe-

tere funera exequendi, quia hoc est tumulationi accessorium.

Quaeritur in tertio dubio de quarta funeraria sive portione canonica Parochis debita „quia dignus est operarius mercede sua; cap. 1. de Sepult. Parochi asserunt eis competere, quia jura parochialitatis exercent et Sacramenta administrant. Quum igitur ad parochos pertineat quarta funeraria, quando quis deponatur in sepulchro majorum vel in sepultura electa extra parochialem Ecclesiam, ita quarta sibi deberi contendunt, si Canonici aliique sepeliantur in Cathedrali, quia ubi eadem est ratio eadem debet esse juris dispositio.

Breviter parochi de quarto dubio agunt. Asserunt enim ex resolutione Congregationis ss. Ritibus praepositae et hujus S. Congregationis ad parochum domicili spectare cadaveris aspersionem, antequam e domo extrahitur, et Antiphonae *De Profundis* intonationem. Caetera vero EE. PP. habent in distributa parochorum allegatione, qui uni in arenam descendunt; Capitulum enim Cathedralis Ecclesiae seu potius Praepositus Nistri vadimonium deseruit.

Proponuntur Dubia:

I. An et cui competat jus administrandi Sacramenta Canonice, Beneficentiae caeterisque ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Miniatis pertinentibus extra paraeciam dictae Ecclesiae Cathedralis degentibus in casu?

II. An et in quo casu parochus ejusdem ecclesiae Cathedralis jus habeat associandi funus peragendi et tumulandi cadavera Canonice, Beneficentiarum aliorumque, ut supra, licet domicilium habuerint ac Sacramenta receperint sub aliena paraecia in casu?

Et quatenus affirmative,

III. An praedictae paraeciae competat quarta funeraria in casu etc.?

IV. An in casu, quo Capitulum et Praepositus Cathedralis sive illius parochus interfuerint associationi cadaverum Canonice aliorumque, ut supra, extra paraeciam Cathedralis degentium aspersionem cadaveris, antequam e domo efferatur, et intonatio Antiphonae „De Profundis“ spectet ad Capitulum ejusque praepositum vel Parochum seu potius ad Parochum domicili in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmative favore parochi domicili.

Ad II. Affirmative quatenus adsit sepulchrum pro addictis Chori servitio vel sepulchrum Majorum vel illud ipsi in Cathedrali elegerint, requisito tamen parochi domicili pro associatione et salva eidem quarta funeris in quantitate juxta consuetudinem loci.

Ad III. Provisum in secundo.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 15. Sept. et 24. Nov. 1821.

17) Non portatur ad Infirmos adorandi causa.

Vd.: SS. Sacrament. euch. (Delatio ad incendium etc., constit. Bened. XIV. §. 12); SS. Viatic. (quib. port.)

18) Quibus porrigendum et quibus non?

Benedictus PP. XIV.

Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinal., ac Archiep. et Episcopis Regni Galliarum in novissimis Comitibus Cleri gallicani congregatis salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex omnibus christianis orbis regio-

nibus, ad quas imposita imbecillitati nostrae pastoralis cura protenditur, quum multa saepe ad Nos deferantur, quae animum nostrum pro omnium singularumque Ecclesiarum statu sollicitum et anxium habeant, vix tamen aliunde Nobis majores perturbationes atque doloris causae acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum et dissensionum incommodis, quibus florentissimum illud regnum et catholicam Gallorum nationem aliquot ab hinc annis jactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare ac interpositis etiam aliorum precibus orare atque obsecrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turbatis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Saepe etiam, datis ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Galliarum regem christianissimum apostolicis literis, illius opem et brachium ad ecclesiasticae pacis tutelam atque praesidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos et ad Sedem Apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos promptos paratosque declaravimus, pro pace Ecclesiae gallicanae, quam sincera et constanti dilectione prosequimur, quidquid Nobis vitae superesse posset, libenter impendere atque omnia, quae Nobis agenda proponerentur et aggredi et urgere, dummodo ejusmodi consilia essent, quae ad repellendum malorum germen apta et idonea dignoscerentur et quorum exercitio cum spe prosperi eventus suscipienda et ad intentum finem utiliter processura viderentur.

Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt literae e gallicani Cleri Comitibus die 21. Oct. elapsi anni ad Nos scriptae, quas quidem legentes vestram, ve-

nerabiles fratres, firmitatem atque constantiam vestram perspeximus et perfectam consensionem in custodiendo verae sanaeque doctrinae deposito et in retinenda, quam semper majores vestri professi sunt, erga Apostolicam B. Petri Sedem catholicae unitatis centrum observantia et veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus quoad canonicas regulas et principia, sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis, quibus utendum nessesario est, ut eadem communia principia in usum dedicantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a conventu vestro, haud tamen mirum videri debet scientibus, id alias inter sacros antistites et doctrina et morum sanctitate conspicuos in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnam autem praeconcepae consolationis nostrae accessionem sese obtulit eximia christianissimi regis pietas et religio, cum hereditario ipsius in hanc Apostolicam Sedem obsequio conjuncta, quae non in recentioribus tantummodo illius literis, quas die 19. Decembr. ejusdem elapsi anni, praedictam cleri epistolam huc mittens, ad Nos dedit, sed in caeteris quoque omnibus ab eo conscriptis praeclare enituit: in quibus testari possumus atque debemus, Nos semper per illius regis animi sensus eos planeprehendisse, qui maxime decebant orthodoxum principem et vera in Deum religione et sincera erga romanam sedem pietate praeditum eundemque pacis atque concordiae in suis regnis restituendae et conservandae amatissimum. Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas apostolicae constitutionis, quae incipit: *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a

debita erga ipsam subiectione sese subducere aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, *ut in ea, quae exorta est, controversia: utrum hujusmodi refractariis sanctissimum Corporis Christi Viaticum expetentibus derogari debeat?* sine ulla haesitatione respondendum sit: *Quoties praedictae constitutioni publice et notorie refractarii sint, denegandum eis esse, ex generali nimirum regula, quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad eucharisticae communionis participationem admitti sive eam publice sive privatim requirat.*

Publici autem atque notorii sunt refractarii in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a iudice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam praedictae constitutioni: Unigenitus venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint: quicumque etiam hujusmodi contumaciae reos se in iudicio confessi fuerint, nihilominus vel eo tempore, quo sacrum ipsum viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus constitutionem Unigenitus sponte profitentur vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit: in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus iudex sententiam tulit vel saltem alias suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens.

In quo tamen prae oculis habenda est differentia, quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti

reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinari, *est aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportet.*

Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen innititur conjecturis, praesumptionibus incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis aut qui praejudicatis opinionibus vel partium studiis ducuntur, quibus, dum fides habetur, satis comperitum est tum praeteritorum temporum tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli ac in transversum agi contingat.

Quia vero nonnulli animarum pastores Ecclesiaeque ministri, pietate et zelo commendati, hujusmodi conjecturis et praesumptionibus deferentes, dum ad sacrum viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo auxilii haerent, verentes, ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint, certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur.

Hoc itaque primum animadvertere debent: *an scilicet ei, qui extremum viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, paschali praesertim tempore, a loci illius parrocho, ubi degebat, eucharistica Communio administrata fuerit: si enim haec illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit aut hominem illum ab omni labe immunem aut saltem non vere notorium peccatorem repu-*

tatum fuisse, indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse, nisi forte, postquam olim ad eucharisticam mensam admissus fuit et ante id tempus, quo postrema sacramenta aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam juxta praemissa contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validae adversus aegrotum praesumptiones et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant, in his rerum circumstantiis oportet, eos, remotis arbitris, aegrotantem alloqui eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tamquam disputantes eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem, rogantes eum et observantes, ut respiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeterna ipsius salutis sors pendet: eidemque praeterea demonstrantes quod, quamvis ipsi parati sint sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo iudicium sibi manducavit et bibit; caeterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae jubenti obtemperent, quae praeter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, aegroti ipsius infamiam praecavere studet et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

Hanc itaque iudicandi agendique

normam oportet vos, venerabiles fratres, utpote Nostro et apostolicae Sedis iudicio prolatam, inferioribus animarum pastoribus caeterisque Presbyteris per civitates et dioeceses vestras sacramenta legitime administrantibus sequendam et observandam proponere. Quod quidem iudicium super vigentibus controversiis a Nobis interpositum et ecclesiasticis regulis nititur et conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus hitorum decretis et gravium ipsius nationis vestrae Theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium praedecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas isthic controversias subortaque dubia ad Nos et apostolicam Sedem deferre certamque hinc regulam ad revocandam tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem exposcere, ita nunc officii vestri partes vestraque simul apud Deum et Ecclesiam merita cumulabilis, si suprascriptam agendi methodum ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitur. Quod Nos a fraternitatibus vestris eo fidentius exspectamus Nobisque pollicemur, quo magis Nobis ipsis conscii sumus, nihil diligentiae aut studii a Nobis praetermissum fuisse sive in perpendendis ac discutiendis articulis, quos Episcopi in praefati Cleri Comitibus adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam rectoque iudicio definiendam opportunis sive in legendis ponderandisque sententiis scripto exaratis a venerabilibus fratribus nostris hujus S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus, sive in caeteris omnibus exequendis atque praestandis, per quae divini luminis adiutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non praetermissimus, Nobis promereri possemus.

Neque vero dubitamus, quin carissimus quoque in Christo filius noster rex christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad Nos datis literis fovere et adjuvare non recusavit, pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate validam fraternitatibus vestris opem praebere studeat, quo tam vobis quam inferioribus Ecclesiae ministris liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum mysteriorum administrationem moderari. Qua quidem fiducia Nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis fratrum vestrorum articulis respicientibus episcopalia jura circa eorumdem sacramentorum participationem concedendam vel denegandam et varias super hac re obortas controversias, sed potius cum ipso christianissimo rege per alias literas nostras agendum duximus, ut is sacra episcopatus jura sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur. Quod ipsum et proprio et majorum suorum more facturum certo confidimus, ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae, illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse laentur. In cujus optatissimi eventus auspiciis fraternitatibus vestris cunctisque populis pastoralis curae vestrae concreditis apostolicam benedictionem peramanter impartitur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 16. Octobris 1756 Pontificatus nostri anno decimo septimo.

Doceant in Ecclesiis seu Oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam ss. Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut

secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice et cum pompa juxta formam Ritualis romani, si vero ab Oratorio privilegiato, cum pompa decenti. S. C. C. 12 Februarii 1679.

Non licet ss. Eucharistiam ad aegrotos deferre, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt sed venerationis gratia solent eam deoculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit. *Cong. C. ap. Bened. XIV. Annot. tom. 2. p. 4. sect. 2. n. 367.* Aegrotis morbi proximis, cujuscunque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, s. Eucharistiae viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit. *Alex. VII. Const. : cri Apostolatus 18. Junii 1658; Clem. IX. Const. : In Ecclesia 13. 13. Septembris 1669.*

Vd.: *Communio* (frequens); *Missae* (Celebrans sedere non debet; *Epist. PP. Bened. XIV. n. XVIII.*); *SS. Viaticum* (modus portandi, *Constit. Bened. XIV.*); *SS. Sacram. Euch.* (communio domest.; particulae); *Indulg. infirmorum. habitual.*

19) Quoties portandum?

Juxta Rituale romanum Pauli V. *tit. de Commun. Infirm.* non potest Viaticum ministrari de novo, nisi infirmus per aliquot dies supervivat.

Questionis propterea est, quot dies debeant intercedere? Sunt, qui tenent sufficere, quod intercedant duo dies, ea adducta ratione, quod numerus pluralis contentus est „duobus.“ At

dictionem aliquot importare majorem numerum dierum et saltem quatuor, tenet *Romaquer ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 27. cap. 28. num. 38.*

VICARIUS.

1) Apostolicus.

a) Celebrans.

Non potest habere Vicar. apost. duos Clericos cum cottis, quando celebrat, ut ipsi inserviant, etiamsi sit Protonotarius apostolicus: et nec quatuor candelas accensas in altari tenere, nisi hoc fieret propter ibi festivitatem currentem: S. Rit. Congr. 7. Augusti 1627.

Neque potest facere functiones episcopales absente veli impedito Episcopo, sed hoc spectare ad primam dignitatem et successive ad alios seniores de capitulo declaravit S. Rit. Congr. in Brundus. 5. Febr. 1614, in Alatrina 22. Jan. 1618, in Algaren. et in alia Brundus. 20. Dec. 1625.

Neque potest Missas solennes cantare, SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre nec aliis functionibus ecclesiasticis se immiscere sed tantum praeesse, ut omnia suo ordine recte fiant: S. Congr. Episcop. in Sassaren. 14. Aprilis 1593, in Bisinianen. 16. Maii 1600, in Spoletana 22. Dec. 1611, in Ortonen. 19. Septembris 1627.

Ad dub.: An teneantur Canonici Cathedralis Juvenacen. excipere et associare ad portam Ecclesiae Vicarium apost. eidemque ministrare aspersionum et textum osculandum expleto Evangelii cantu, necne thurificari triplici ductu et debeat assistentia Caeremoniarum Magistri? S. C. resp.: Quoad thurificationem servandam esse ejusdem Ecclesiae consuetudinem. In reliquis vero Vicario quamvis aposto-

lico praerogativas praedictas minime competere. n. 1909 die 13. Jul. 1658.

Vicario ap. Spoleti in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus deberi tantum illas praerogativas, quibus gaudent Vicarii gen. Episcopi; titulum vero „Illmi“ dicto Vicario ap. non deberi, necnon praeceptum Notariis factum abolendum et poenas comminatas non afficere. n. 3062 die 12. Aug. 1684. Item decretum emanatum est pro Vicario ap. Immolens. civitatis sub n. 3063 ad 1-4 die 12. Aug. 1684.

b) Incensatio, Pax, Liber osculandus.

Vd. supra lit. a.

Non potest praetendere Vicarius apost., ut sibi detur incensum inter Missarum solemnias, nempe in principio Missae, post Evangelium et in offertorio, sed semel tantum dari debet in offertorio et non amplius. Et tunc si Episcopus est praesens, bis ducto thuribulo, si absens, ter ducto: S. Congr. Episc. in Cajetana 14. Januarii 1595.

Neque potest praetendere, ut sibi deferatur osculandus liber Evangelii, nisi sit Episcopus, quia hoc est privilegium solis Episcopis concessum: S. Congr. Episc. 28. Augusti 1589.

c) Praecedentia et Praerogativa.

Vicarius Apostolicus debet habere in Choro, si non sit Canonicus, praecedentiam supra omnes et ideo sedere debet in digniori sede, non tamen in solio episcopali: S. Congr. Episc. in Cajetana 22. Januarii 1596. Quod si dignior sedes Chori esset occupata, tunc Dignitates et Canonici descendere debent inferius uno gradu relinquendo